









*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.





1764.

1. Kireth, Joann. Franzolt : De infanticidio notis sectione  
legali delegendis.
2. Eisehart, Joann. Fredericus ; Ord. jur. . . . Decanus : Caroli  
Antonii Keuffel . . . solennia inauguralia . . . in  
dies simul de successione ex mortuis pauca disse  
rit.
3. Eisehart, Jo. Fredericus : Ord. jur. . . . Decanus : Francis  
Christiani Richard . . . solennia inauguralia indies  
simulque de natura et indole communicationis bonorum  
inter conjuges tacite intestae . . . disserit.
4. Eisehart, Joann. Fredericus : De jure publico populi  
Romani ad l. 1. § 2 D. de j. et f.
5. Eisehart, Joann. Fredericus : De pactis datalibus ob  
superiorum liberorum tant tollendis.
6. Hensckius, Jo. Jacobus : Memoriam Fr. Jacobi Hens  
ckii . . . prorector et senatus civitatis de posteriori huius  
commentat

1765

1. Keuffel, Carolus Antonius: De jure privato populi Romani.

1766.

1. Fickius, Wb. Phil: De factis quorundam marchionatu Mesvicensi et in illius inique praetore S. R. I. imperii jure
2. Keuffel, Carolus Antonius: De statu res Romanae sub principatu.
3. Keuffel, Carolus Antonius: De jure publico orbis Romani sub libertate.
4. Peltke, Carolus Rodericus: Legum quarundam lectio nem male a criticis depravatum restituit et defendit.

1767.

1. Dommerichius, Joannes Christophorus: Memoriam ... Romulicam ... pro rector et senatus ... civitas et populo ... in latini commendat.



1767.

2. Keuffel, Cordus Antonius: Historia auctoritatis prudentum apud Romanos. Sect. I, praedictionibus semestris aestivi . . . praemissa.

3. Keuffel, Cordus Antonius: Historia auctoritatis prudentum apud Romanos. Sect. II, praedictionibus semestris aestivi . . . praemissa.

4. Kluczel, Sergius Simon: De ratione, quam inter se habeat in demonstrationibus mathematicis methodus synthetica et analytica disserit et lecturas . . . indicit.

1768.

1. Frickius, Albertus Philippus: De iurejurando per genium principis.

2<sup>o</sup>: Frickius, Alb. Phil.: De muneribus et diem natalium Marii solitis. 2 exempl.

3. Keuffel, Cordus Antonius: Historia auctoritatis prudentum apud Romanos. Sect. III, praedictionibus semestris aestivi . . . praemissa.

17

1.

Y. Kenffel, Carolus Antonius : Historia auctoritate  
Latis prudentium apud Romanos. Sect. IV, per  
lectionibus semestri hiberni . . . praemissa.

17

1.

2.

3.

4.

17

#8

1.

2.






2276  
1957  
1766, 4  
M

LEGVM QVARVNDAM

LECTIONEM

MALE A CRITICIS DEPRAVATAM

RESTITVIT ET DEFENDIT



SIMVLQVE

LECTIONES PVBLICAS

QVIBVS

MVNVS PROFESSORIS

IVRIS EXTRAORDINARI

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM

AVSPICATVRVS EST

INDICIT

CAROLVS FRIDERICVS PAELIKE

IVR. VTR. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

SOCIET. TVT. HELMST. MEMBR. HONOR.



HELMSTADII

IN TVFOGRAPH. ACAD. VID. SCHNORWIAE



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the words "LEONARD" and "GUYARD".





uum in praelectionibus meis id semper negotii datum mihi esse putauerim, ut in vero proprioque legum sensu defudarem elaboraremque; atque eam rationem sequi et in posterum mihi sit animus: iuvat speciminis causa leges quasdam proponere, easque, fieri si possit, a temeraria Criticorum quorundam falce rueri et vindicare. Sit itaque prima lex, quam breuibus explicandam sumamus, nota illa et satis vexata:

LEX XIII. §. I. D. DE FIGN. ACT.

*Venit autem in hac actione et dolus, et culpa, ut in commodato; venit et custodia: vis maior non venit.*

A 2

Haec



Haec legis verba de iurisprudencia optime merito  
 NOODT *lib. 1. prob. iur. c. 4.* corrupta videntur, qua-  
 re ea ita transponit:

*Venit autem in hac actione et dolus et culpa; AT  
 in commodato venit et custodia.*

In hac emendatione BOEHMERVS in *Digest. tit. de  
 pign. act. §. 6.* elegantiam se quandam inuenire credit,  
 quam vero, quod lubens fateor, non video. Litteras  
 enim legis tollere, alias earum loco substituere, pro  
 VT ponere AT, et semicolon transponere, non sane  
 est legem explicare; sed lacerare, corrumpere, nasu-  
 te distringere. Quo vero iusto ordine hic procedam,  
 et verba legis, prout iacent, luculenter defendam,  
 accipe regulas de gradu culpa in quouis negotio praes-  
 tando, partim ex generalibus legibus *l. 23. D. de R. I.*  
*et l. 5. §. 2. D. commod.* partim ex legibus singulos con-  
 tractus spectantibus conciliatas.

REG. I. Quicumque contrahentium ex contractu  
 nullam habet vtilitatem, ille praestat culpam  
 latam. Excipe Negotiorum gestorem, tuto-  
 rem et mandatarium.

REG. II. Quicumque contrahentium solus ex contra-  
 ctu omnem habet vtilitatem, ille praestat  
 culpam leuissimam *l. 5. §. 2. D. commod.* Ex-  
 cipe precarium.

REG.



REG. III. Si uterque contrahentium ex contractu  
 utilitatem haber, sibi inuicem culpam leuam  
 praestant l. 13. §. 16. D. de act. emt. vend. l. 14.  
 D. de pign. act. l. 35. §. 4. D. de contrab. emt.  
 §. 4. Inst. quib. mod. re contrab.

REG. IV. Qui negotio se obtrudit, aut artem profi-  
 tetur, culpam leuissimam praestare tenetur l.  
 1. §. 35. D. de pos. §. 1. Inst. de Obl. quae quas. l. 25.  
 §. 7. D. locat.

Ex praemissis itaque regulis sequeretur, nisi iam in  
 ipsis legibus ita esset dispositum, ut, quia pignus tam  
 creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum, quam  
 debitoris, quo magis pecunia ei credatur, gratia da-  
 tur, alter alteri ad culpam leuam teneatur, §. 4. Inst.  
 quib. mod. re contrab. l. 14. D. de pign. act. Iam vero  
 in l. 13. §. 1. D. de act. pign. disponitur, ut creditor eun-  
 dem culpae gradum praestare debeat, qui in commo-  
 dato praestetur. At commodatarius, qui omni utilita-  
 te fruitur; leuissimae culpae reus tenetur; hinc merito  
 concludo: legem nostram vel de casu speciali dispo-  
 nere, ubi pignus solum in creditoris utilitatem datum;  
 in hoc enim casu creditor eodem modo ut commoda-  
 tarius de culpa leuissima se sciat obligatum. Aut poti-  
 us verba ita accipienda esse credo, prout iacent; hinc  
 in contractu pignoratitio idem culpae gradus, ut in





commodato est praestandus. Ut vero in commodato  
 commodatarius aliquando tantum dolum et latam cul-  
 pam praestat, utputa: si quis ita conuenit; vel si sua  
 dumtaxat causa commodauit, sponsae forte suae, vel  
 vxori, quo honestius culpa ad se deduceretur; vel si  
 quis ludos edens Praetor scenicis commodauit, vel ipsi  
 Praetori quis ultro commodauit *l. 5. §. 10. D. commod.*  
 ita quoque creditor aliquando tantum dolum et culpam  
 latam praestat, utputa: si ita conuentum, aut pignus  
 creditori obrusum. Ut vero in commodato com-  
 datarius aliquando tantum culpam leuem praestat, si  
 scilicet utriusque gratia commodata sit res, veluti si com-  
 munem amicum ad coenam inuitauerimus, tuque eius  
 rei curam suscepisses, et ego tibi argentum commoda-  
 uerim *l. 18. pr. in f. D. commod.* ita quoque creditor re-  
 gulariter culpam leuem praestat. Ut vero comoda-  
 tarius regulariter culpam leuissimam praestat, quia in  
 regula omne percipit emolumentum *l. 18. D. all.* ita  
 quoque aliquando creditor, si vel ita conuentum, vel  
 pignus in creditoris tantum utilitatem tendat, culpam  
 leuissimam praestat, quo spectat meo quidem iudicio  
 laudata *l. 15. §. 1. D. de pign. act.* Et haec mea sententia  
 quoque inde corroboratur, quod creditor aliquando ad  
 casus fortuiti praestationem obstrictus fit, si ita con-  
 uentum, vel culpa casum praecesserit, vel propria au-  
 stori-



toritate pignus occupauerit l. 30. D. de pign. act. Ex dictis itaque patet, quomodo lex allata sine omni emendatione secundum sanas interpretandi regulas explicari possit.

Pergamus ad aliam legem, quam mendosam deprauatamque esse et BOEHMERVS et alii clamant. Est illa atro carbone notata

LEX I. §. 15. D. DE TUTEL. ET RAT. DISTR.  
Verba integra adducere ratio postulat:

*Usque adeo autem ad contutores non venitur si sint soluendo contutores, ut prius ad magistratus, qui eos dederunt, vel ad fideiussores veniatur: Et ita Imperator noster Vlpio Procuro rescripsit. Quod enim Marcellus lib. 8. Digestorum scripsit, quodque saepissime rescriptum est, quamdiu (vel) unus ex tutoribus idoneus est, non posse ad magistratus, qui dederunt veniri, sic erit accipiendum, SI NON CONTUTOR ob hoc conueniatur, quod suspectum facere vel satis exigere nolit.*

Laudatus BOEHMERVS in Digest. tit. de Magistr. conueniend. §. 3. credit, seriem orationis in hac lege euincere satis, particulam NON in fine delendam esse. Sed si eiusmodi emendatio esset licita, nullus certe tam planus esset in libris nostris locus, qui ad mentem Ictorum non posset detorqueri. Videamus igitur



tur, quomodo illam legem sine eiectione particulae  
 NON interpretari possimus.

Agedum! ipse Vlpianus aperit viam in §. 10. dictae legis, dicens: se in sequentibus agere velle de casu, si plures tutelam pupilli administrauerint, pro qua quisque eorum parte conueniendus sit. Inde in §. 11. docet, plures tutores, qui simul gesserunt et soluendo sunt, habere beneficium diuisionis exemplo confideiussorum. In §. 12. vice uersa docet, si non omnes tutores sint soluendo, inter eos, qui soluendo sunt, actionem diuidi. In §. 13. vero duos casus proponit. Primus est, si forte quis ex facto alterius tutoris condemnatus, praestitit, tunc ei competit actio utilis aduersus contutorem. Sed hic casus non satis perspicuus est. Vt mea fert sententia, Vlpianus hic loquitur vel de eo casu, quo duo tutores tutelam priuato pacto inter se diuiserint, gerens vero culpa damnum dederit, aut de casu, quo ambo gesserint tutelam, sed alter tantum commiserit culpam, et alter qui non gessit, vel culpam non commisit, conuenitur actione tutelae; tunc hic aut opponit exceptionem excusationis, aut non. Si opponit, et gerens non est soluendo ei datur aduersus gerentem regressus. Si vero non opposuit, sed damnum simpliciter resarsit; ei quoque datur regressus aduersus gerentem. Alter casus ab Vlpiano propositus, est: si ambo tutelam gerentes aliquid ne-  
 gle-



glexerint, et alter conuenitur, tunc aut opponit exceptionem diuisionis, et alter non est soluendo, aut non opponit; in utroque casu ei competit actio utilis aduersus contutorem. Haec actio utilis sine dubio est Negotiorum gestorum actio *l. 30. D. de negot. gest.* iam ad §. 17. venio, vbi Vlpianus de casu agit, si tutor ex dolo communi contentus praestiterit, tunc neque mandandae sunt actiones, neque utilis competit, quia dolose agentibus leges non adfistunt.

Tandem ad §. 15. me conuerto, in qua cardo controuersiae vertitur. Sed quis, vel me tacente, non videat, Vlpianum in hac §pho casum mutare. Nam in §phis antecedentibus egerat de casu, si omnes tutelam gesserant, aut priuato pacto inter se diuiserant, quo excussis demum omnium tutorum, fideiusforum, et eorum heredum facultatibus in magistratus actio subsidiaria dabatur. Nunc vero agit de casu, quando ex voluntate patris aut iudicis vel alter tantum tutelam gerit, ceteris obseruatoribus et tutoribus honorariis constitutis, vel inter omnes tutelae administratio diuisa fuit, quo primario contra tutorem gerentem agendum est, eo vero soluendo non existente, statim aduersus magistratus actio datur, antequam aduersus contutores non gerentes agi potest. Et hoc indicant verba: *Uti- que adeo autem ad contutores non venit, si sint soluendo*

B

con-





contutores, ut prius ad magistratus, qui eos dederunt, vel ad fideiussores veniatur. Verus itaque horum verborum sensus est: si ex voluntate patris vel iudicis tutela inter plures est diuisa, periculum ad eos contutores, qui hanc partem tutelae, in qua damnum datum, non administrarunt, non pertinet, sed ille tutor, qui damnum dedit, pro parte suae administrationis conuenitur, si soluendo est, sin minus, aduersus eius fideiussores, his quoque excussis, prius ad magistratus, qui eum dedit, conuenitur, quam ad contutores, qui hanc partem non administrarunt. Reliqua vero verba: *quod enim Marcellus - - scripsit - - quamdiu, vel vnus ex tutoribus idoneus est, non posse ad magistratus, qui dederunt veniri, sic erit accipiendum, si NON CONTUTOR ob hoc conueniatur, quod suspectum facere, vel satis exigere noluit*, exceptiones continent, quod in eo casu ad magistratus veniri non possit, quamdiu vnus ex omnibus tutoribus, tam hanc partem tutelae, in qua damnum datum, non gerentibus, quam honorariis idoneus est, **SI NON CONTUTOR**, i. e. tutor honorarius, qui non administrat, adeoque tutor non est, ob hoc conueniatur, quod suspectum facere, vel satis exigere noluit. Sic nostra interpretatio sine eiectione particulae **NON** procedit.

Iam



Iam ad aliam legem accedamus, quae est:

LEX XVIII. D. DEPOSITI

cuius verba ita sese habent:

*De eo, quod tumultus, incendiis, ruinae, naufragii causa depositum est, in heredem de dolo mortui actio est pro hereditaria portione, et in simplum, et intra annum quoque: in ipsum, et in solidum, et in duplum, et in perpetuum datur.*

BOEHMERVS in Doctr. de Action. Sect. II. Cap.

VIII. §. 23. not. 2. de hac lege ita iudicat: Meo iudicio lectio valde turbata est, cum eius decisio ex ipso Edicto Praetoris in l. 1. §. 1. haut fluat, quod tamen Neratius explicare voluit. Restituenda sine dubio hoc modo: *in heredem de dolo mortui actio est pro hereditaria portione; et intra annum quoque in ipsum (depositarium) et in solidum et in duplum; at in simplum in perpetuum datur.* Ita BOEHMERVS. Sed et hanc verborum transpositionem aequo animo ferre non possum; quare verum huius legis sensum sine eiusmodi mutatione ut eruam, allaborabo. Quo vero mea sententia paullo clarior elucescat, non nullas regulas generales de duratione Actionum praefstruam.

REG. I. Omnes Actiones reales siue ciuiles siue praetoriae sunt perpetuae, adeoque triginta annos durant l. 3. C. de praesc. XXX vel XL ann.

B 2

Exip.





*Excip. I.* Si res non vitiosae a bonae fidei possessore breuiori tempore sint vsucaptae, aut

*II.* Actio realis per specialem legis dispositionem breuiori tempore praescribatur  
*l. 35. D. de Obl. et Act.*

**REG. II.** Omnes actiones personales ciuiles siue rei persecutoriae siue poenales perpetuo durant  
*pr. Inst. de perpet. et temp. act. l. 35. D. de Obl. et Act.*

**REG. III.** Omnes actiones praetoriae rei persecutoriae itidem perpetuo durant, nisi ad rescindendum ex restitutione in integrum ad quadriennium restringantur  
*all. leg. l. 5. C. de temp. in integr. rest.*

**REG. IV.** Omnes actiones praetoriae poenales anno vtili expirant  
*l. 35. D. de O. et A.*

*Excip. I.* Actio furti manifesti, quae, licet praetoria, perpetua est  
*pr. Inst. de perpet. et temp. act.*

*II.* Actio furti aduersus nautas, caupones, stabularios et

*III.* arborum furtim caesarum, quae itidem Praetoriae, et tamen perpetuo durant  
*l. ult. § fin. D. naut. caup. l. 7. §. 6 et 7. D. de arb. furt.*

*Exi-*



*Exe. IV. Serui corrupti l. 13. D. de Seru. corrupt.*

*V. de effusis et deiectis, nisi de occiso libero homine agatur, quo casu annalis est l. 5. §. 5. D. de his, qui effud. et de-nique*

*VI. Actio depositi miserabilis l. 18. D. depos-*

- Ex praemissis itaque regulis efficeretur, actionem depositi simplicis tanquam personalem, civilem, rei persecutoriam quidem perpetuo durare; at actionem depositi miserabilis tanquam praetoriam poenalem tantum per annum utilem durare debere. Sed haec actio id singulare habet, quod, etsi in duplum ob inficiationem depositi agatur, et ex Edicto Praetoris descendat, tamen sit perpetua. Cuius dispositionis ratio in eo posita videtur, quod depositarius depositum miserabile negans insignis perfidiae reus, adeoque non absimilis furi sit, contra quem actiones praetoriae poenales perpetuo competunt *pr. Inst. de perpet. et tempor. act.* Et ita *l. 18. D. deposit.* facili negotio et sine omni emendatione ex *l. 1. §. 1. D. eod.* explicari posse credo.

Praetor enim in suo Edicto ratione depositi miserabilis tres casus proposuerat, quos illustrat Neratius in *l. 18.* laudata.



Primus est: Ipse depositarius ob inficiationem depositi miserabilis in duplum condemnatur *l. 1. §. 1. all.* Hunc casum exponit Neratius per ultima verba dictae legis, scilicet *in Ipsum* (i. e. in depositarium) *et in solidum* (si nempe plures sint depositarii, quilibet in solidum conueniri potest) *et in duplum* (si scilicet inficiatio fuerit secuta) *et in perpetuum datur* (exemplo actionis furti nec manifesti.)

Alter est: Heres depositarii ob dolum defuncti tantum in simplum tenetur *l. 1. §. 1. all.* et hoc indicat Neratius per verba: *in heredem de dolo mortui actio est pro hereditaria portione et in simplum.* Et quia in hoc casu haec actio tantum in simplum datur, secundum suam naturam perpetuo durat *per reg. III.* Quare etiam Neratius de duratione actionis in hoc casu nihil disposuit.

Tertius casus est: si ipse heres depositarii dolose restitutionem rei depositae miserabilis deneget, in duplum condemnatur. Quousque in hoc casu actio depositi duret, docet Neratius per verba: *et intra annum quoque.* Quod enim Neratius duplicem casum proferre voluerit, satis luculenter testantur legis verba: *et in simplum, et intra annum quoque;* quinam vero sint hi duo casus ex ipso praetoris edicto apparet. Contra heredem depositarii itaque ob inficiationem actio depositi



si secundum suam naturam per reg. IV. supra praestru-  
ctam intra annum datur.

Eiusmodi permultae leges iniuriosis interpreta-  
tionibus vexatae facili negotio in medium proferri  
possent, nec id ab instituto alienum foret, siquidem tem-  
poris ratio longius exerrare permetteret. Nos in ca-  
pessendo munere academico hic ancoram figimus, alia-  
rum defensiones in commodius tempus differentes.

Sic ad ea tandem delabor, quae huic scriptioni  
occasionem dedere. Obuenit enim mihi amplissimo  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI  
CAROLI, BRUNOVICENSIVM AC LVNEBURGEN-  
SIVM DVCIS, HERI MEI LONGE CLEMENTISSIMI,  
beneficio munus Professoris Iuris extraordinarii. Pro  
hoc immortalis optimi Principis beneficio, quod summa  
agnosco pietate, deuotissimas ac humillimas gratias ago,  
Deumque O. M. supplex veneror, ut gratia sua adsit,  
augeat, protegatque excelsam Brunouicensis ac Lune-  
burgensem Domum, vitam illi, gloriam, et felicitatem  
concedat, ut sacrarium hoc Musarum exornent porro  
ac tueantur consueta clementia, auitaeque gloriae here-  
des et aemuli, studiorum sinus ac praemium, humani  
generis deliciae ac salus, semper et ubique perhibean-  
tur, decora sua non tam aeris metallo ac morituris mar-  
moribus, quam animis ciuium et indelebili litterarum  
memoriae inscripturi.

Pro-





Prouinciam vero, quae clementissime mihi demandata est, Summo Numine, cuius praesidium supplex imploro adiuuante, rite aditurus, in praesenti seriem praelectionum mearum per hoc semestre hibernum habendarum exponam. Nimirum

*Publice* hor. I-II. HAINII fundamenta Iuris priuati civilis in tabulas redacta explicabo.

*Priuatim* hor. VIII-IX. HEINECCII elementa iuris civilis secundum ordinem institutionum illustrabo.

Hor. IX-X et XI-XII. BOEHMERI introductionem in Ius digestorum interpretabor.

Hor. X-XI. STRVVIJ iurisprudentiam rom. germ. forensensem exponam.

Hor. II-III. die Lunae et Iouis exercitia disputatoria, die Martis et Veneris examinatoria super HEINECCII Institutiones instituam, et die Mercurii atque Saturni Ius Cambiale duce HEINECCIO docebo.

Hor. IV-V. Ius Naturae praeunte GRIBNERO et denique Hor. VI-VII. Illustr. MEISTERI elementa Iuris Criminalis interpretabor.

Iis quoque qui priuatissima a me desiderabunt, lubens inferuiam.

Praelectionibus istis beneuoli interesse vt velint Illustrissimus Comes, Generosi, Nobilissimi atque ornatissimi Commilitones, omni, qua par est, rogo obseruantia. P. P. Helmstadii d. xxii Iulii

CICIDCCLXVI.





(x228 2205)








276.  
1359  
1766,4  
11

LEGVM QVARVNDAM  
LECTIONEM  
MALE A CRITICIS DEPRAVATAM  
RESTITVIT ET DEFENDIT



SIMVLQVE

LECTIONES PVBLICAS

QVIBVS

MVNVS PROFESSORIS  
IVRIS EXTRAORDINARI

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM  
AVSPICATVRVS EST

INDICIT

CAROLVS FRIDERICVS PAELIKE

IVR. VTR. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
SOCIET. TEVT. HELMST. MEMBR. HONOR.

HELMSTADII  
IN TYPOGRAPH. ACAD. VID. SCHNORRIAE

